DE ORATIONIS QUAE INTER LYSIACAS LOCUM OBTINET VICESIMUM ΥΠΕΡ ΠΟΛΥΣΤΡΑΤΟΥ INSCRIPTAE FORMA ET AUCTORE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS DIE XXIV. M. JANUARII A. MDCCCLXX. HORA XII. VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
WALTER PAROW,
BEROLINENSIS.

Hippolyt Carl Hermann Walter

ADVERSARIORVM PARTES SVSCEPERVNT:
G. SCHULZE, DR. PHIL.
H. ASCHER, IVD. CAM. REFER.

HALIS,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.
[1870]

Lysiae orationes, quae nunc non solum a viris doctis sed etiam in scholis multum et saepe leguntur, initio saeculi nostri fere ignotae paucorum interpretum, ut Taylori, Reiskii, Augeri continebantur editionibus. cuius rei si quis causam quaerat, primum animadvertat quid inter veterum philologorum et recentiorum studia intersit. nam saeculum decimum octavum, quatenus in veterum scriptis occupatum erat, non tam rerum gestarum veritatem et connexum quam sententiarum subtilitatem et elegantiam spectabat, quo factum est ut in poetis magis et philosophis quam in rerum scriptoribus et oratoribus versaretur. quare Homerus, Sophocles, Horatius, Aristoteles iam diu magnum habebant interpretum lectorumque numerum, cum Thucydides, Demosthenes, Livius, Tacitus neglegerentur. at nostra aetas longe aliter iudicat de antiquitatis studio. institutionem, non delectationem quaerit, cupit e rebus gestis de rebus gerendis doceri. itaque ad historiam rerumque scriptores se convertit. similem igitur sortem Lysias noster habuit, qui, quamquam ne elegantiae quidem caret, optime tamen de rerum sua aetate gestarum cognitione meritus est. nam ut alia omittam, de quot rebus ad forum iudiciaque Atheniensium pertinentibus a solo Lysia docti sumus? quis auctor, si Thucydidem excipis, melius plebis paucorumque contentiones illustravit et querelas? quare Lysias inter praecipuos auctores numerandus est, quibus aditus ad belli peloponnesiaci exeuntis historiam atque ad Atheniensium consuetudines forenses et domesticas

nobis est patefactus, ob eamque causam, nisi fallor, a viris doctis magis magisque legi et explicari coeptus est.

At videtur alia quoque causa accedere cur Lysias nuperrime tot amatores invenerit. codices enim manu scripti, quibus Lysiae orationes nobis conservatae sunt, textum praebent tam varium et lacunosum, ut multos taedium ceperit studii tam molesti et, donec omnis fundamenti caruit, parum fructuosi. sed ante hos annos fere undeviginti in publicum prodiit epistola Hermanni Sauppii ad Godofredum Hermannum, qua de codicum auctoritate et connexu tam dilucide diiudicatum est, ut nulla amplius de ea re dubitatio inter interpretes maneret codicemque palatinum, qui litera X significari solet, solum et unicum ceterorum fontem esse omnibus probaretur. jam igitur critica ars, quae antea modo huc, modo illuc sine ulla regula spectabat, fundamentum accepit et hanc sibi legem proposuit, ut aut codicis palatini lectiones recipiantur, aut, si tolerari non possunt, nulla ceterorum codicum ratione habita emendentur ex interpretum arbitrio et doctrina. inde a quo tempore adeo crevit librorum ad Lysiam pertinentium numerus, ut iam unius hominis memoria ne titulos quidem omnes capiat. quare singulos non perstringam, praesertim cum praecipui viris doctis satis innotuerint.

Sed quamvis magnam laudem Sauppius meruerit, quod codices quomodo cohaereant demonstravit et explicavit, tamen fundamentum, in quo studium Lysiacae eloquentiae nunc positum est, lubricum manet et incertum. nam codex palatinus, de quo solo agitur, non minus quam alii corruptus est et lacunosus, ita ut insolentissimae licentiae campus pateat infinitus. nam qui orationes 4, 6, 8, 20, 27 accuratius perlegerunt, eo consentient ut nullum corruptionis genus ab hoc codice alienum esse arbitrentur. quamobrem

critici in nostro auctore occupati nullum habebunt verum processum et fructum, quoad unusquisque suam sententiam aequo iure alteri opponere potest neque alia extat suprema auctoritas quam omnium doctorum virorum in sigulis consensus.

Hanc ob causam non probanda mihi videtur via et ratio plerorumque interpretum, qui de singulis, in quibus consensum numquam fere adipiscentur, sagaciter et assidue disputantes temporum iniuriam, qua Lysias tam mutilatus ad nos pervenit, vincere se posse opinantur. Longe fructuosiorem censeo laborem Sauppii opus excipientem quo id agatur, ut codicis ad quem solum quaestio redacta est palatini natura quam accuratissime fieri poterit indagetur, e qua cognita regulae et principia quae omnes teneant, ad criticam artem exercendam constitui poterunt.

Ad codicis vero palatini naturam, virtutes, vitia, originem, denique probabilem usum intellegendum maximi momenti sunt ipsae illae orationes, quas corruptissimas esse omnes interpretes concedunt. nam corruptionis praebent tam varia genera, tam memorabiles figuras, ut a sola librarii negligentia eas repetere non possis, sed necesse sit certam quandam fontis, e quo hic codex descriptus est, condicionem suspicemur. unde efficitur, e diligenti corruptelarum studio et comparatione prosperum criticorum successum pendere. quamobrem operae pretium erit earum orationum, quarum in forma interpretes maxime haeserunt, statum inquirere, in quo plurima vestigia cum fontium condicionis tum librarii rationis extare verisimile est.

Casu factum est, ut studia mea in orationem quae locum vigesimum obtinet *ὑπὲρ Πολυστράτου* inscriptam, inciderint, quorum fructus, cum ad illam quam proposui quaestionem non inutiles mihi visi sint, in hac commentatione sum explicaturus.

Oratio vigesima a plerisque interpretibus neglecta est. veteres enim interpretes Taylor, Markland, Schott, mancam eam et lacunosam iudicarunt, (ut ex Reiskii editione colligo), sed neque de auctore neque de causae statu neque de corruptionis gradu et genere accurate disputarunt. Unus videtur Dobraeus miserabilem statum textus non agnovisse, qui in Adversariis suis hanc orationem vocat „non contemnendam, sed crasso filo contextam.“ Inter recentiores nemo est, quod ego sciam, quin haeserit in huius orationis forma. sed in varias sententias viri docti abierunt. plerique eam Lysiae abiudicarunt, pauci tamen rationem reddiderunt opinionum quas amplexi sunt. Wattenbach, qui dissertationem scripsit de quadringentorum Athenis factione, sententiam proponit hanc de causae statu: „Polystratus cum post recuperatam libertatem rationes daret, absolutus esse videtur, deinde, puta post quinque millium dominationem abrogatam, redintegrato iudicio absens damnatus, redux restitutionem petit ne propter multae magnitudinem, quam solvere nequit, infamia afficiatur. sed ea ita profero, ut probabiliorem aliquam rationem expectem.“ A cuius sententia Scheibe longe differt, qui primam quam statuit Wattenbach actionem non agnoscit, in altera, quae ei prima videtur, non quadringentorum societatem sed aliud crimen aliquod Polystrato absenti obiectum esse putat, actionem vero, ad quam nostra oratio pertinet, non a reo restitutionem petente, sed ab accusatoribus consortii illius causa concitatam facit. Ceterum Wattenbach non cum Scheibio ceterisque fere omnibus interpretibus hanc orationem Lysiae abiudicat. Duo Batavi, Bake et Francken, soli, nisi fallor, operam navarunt ut demonstrarent, quot et quibus in rebus orationis partes inter se ipsae pugnarent. Quorum alterius de hac re disputationem, quam in „σχολικοῖς ὑπομνήμασιν“ edidit, doleo mihi sub oculos non venisse, sed videtur non minus

quam Francken (in „observationibus criticis in Lysiam“) de meliore emendatorum successu desperare.

Hi fere omnes viri docti sunt, qui de oratione vigesima scripserunt. apparet igitur, nulla in parte eos inter se consentire, ita ut in eorum opinionibus acquiesci non possit. tamen haec oratio neque parva est neque ad res gestas cognoscendas inutilis, quare iam per se non indigna est quae tractetur. in hunc duplicem igitur finem de ea disputabo, ut non solum corruptionis genus explorare studeam, sed etiam demonstrem, quo usu et auctoritate esse possit ad aetatis, qua scripta est, historiam illustrandam.

Cuius negotii prima pars ea mihi videtur esse, qua opinionem refutem eorum qui, si non integram, certe non magis perversam quam alias orationes putant formam nostrae orationis, ita ut nullam nisi in singulis vocibus dissensionem esse posse arbitrentur. quare exempla proponam nonnulla, quae me quidem iudice manifesta perversissimae traditionis specimina offerunt.

Spectemus §um 20, quae duas continet sententias: *εἰ δέ τινες κακόνοι ἐγένοντο εἰς τὰ ὑμέτερα πράγματα ἢ γνώμην μὴ ἐπιτηδείαν εἶπον, οὐχ οἱ ἀπόντες τούτων αἴτιοί εἰσιν, ἐπεὶ καὶ τοὺς παρόντας ὑμεῖς ἀπελύσατε. — οὐδὲ γὰρ εἴ τις τῶν ἐνθάδε μὴ τὰ ἄριστα λέγων πείθει ὑμᾶς, οὐχ ὑμεῖς ἐστε αἴτιοι, ἀλλ' ὁ ἐξαπατῶν ὑμᾶς* (ubi *ἀπόντες* pro *ἅπαντες* Marklandus correxit).

Haec duo enuntiata absurdam sententiam praebent, si iuxta leguntur. in altero absentes opponuntur praesentibus, in altero suasores iis quibus persuadetur. quaenam horum est similitudo? ceterum omni connexu cum iis quae praecedunt et iis quae sequuntur utrumque enuntiatum caret, quo fit ut aequo iure utrumque eici possit. sed vestigium extat quo docemur utri hic locus abiudicandus sit. cum

posteriori enim mirum in modum conveniunt quae §o 16 leguntur, ita ut haec habeamus:

: . . . : ἀλλ' οὐχ' οὗτοι (οἱ πεισθέντες) ἀδικοῦσιν, ἀλλ' οἱ ὑμᾶς ἐξηπάτων καὶ κακῶς ἐποίουν. — οὐδὲ γὰρ εἴ τις τῶν ἐνθάδε μὴ τὰ ἄριστα λέγων πείθει ὑμᾶς, οὐχ' ὑμεῖς ἐστε αἴτιοι, ἀλλ' ὁ ἐξαπατῶν ὑμᾶς. quid aptius dici potest? quid utilius?

§o 6 haec leguntur: . . . . . τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσοι ἦρχον, καταπροδόντων τὰ πράγματα. — οἱ δ' οὐχ' ὑπέμειναν καταγνόντες σφῶν αὐτῶν ἀδικεῖν ὁ δὲ ἡγούμενος μηδὲν ᾽δικηκέναι δίκην δίδωσι. καὶ τοὺς μὲν ἀδικοῦντας οἱ κατήγοροι ἐκκλέπτουσιν, ἀργύριον λαμβάνοντες· παρ' ὧν δὲ κ. τ. λ.

Quid? in exilium ultro pergentes tamen accusatores corruperunt? si alterum, quid altero opus? cum praesertim ipsa absentia ante rationem redditam muneris administrati maxima eorum accusatrix atque etiam testis gravissima extitisset. numquam hoc crediderim. erant nequissimi, tamen non delirabant. aut igitur in urbem reversi corruperunt accusatores, aut illis neglectis iudicio se subtraxerunt. quare haec enunciata inter se coniungi nullo modo possunt. singula vero sunt satis clara et perspicua, modo tollatur connexus. utrum igitur amovendum? me quidem iudice utrumque, neutro ad Oropi proditionem, de qua antea sermo est, spectante. sed de hac re postea agemus, iam vero prius enunciatum unde fluxerit e §§is 21 et 22 discemus. comparemus enim haec:

οἱ δ' οὐχ ὑπέμειναν, καταγνόντες σφῶν αὐτῶν ἀδικεῖν· ὁ δὲ ἡγούμενος μηδὲν ἠδικηκέναι δίκην δίδωσι.	§§ 21 et 22: ἐκεῖνοι δὲ σφῶν αὐτῶν προκαταγνόντες ἀδικεῖν οἴχονται, ἵνα μὴ δοῖεν δίκην. . . . . οὗτος δὲ ὑμῖν δίκην δέδωκεν . . . . . πιστεύων αὐτῷ μηδὲν ἡμαρτῆσθαι κ. τ. λ.

continet § 6 eandem sententiam quam copiosiorem exhibent §§i 21 et 22. unde apparet esse eam illarum commentarium vel simile quid. eo igitur referenda est.

Legimus §o 19: ἢ δεινά γ' ἂν πάθοιμεν, ὦ ἄ. δ., εἰ τοὺς μὲν οὐχ' οἵους τε ὄντας ἐξάρνους εἶναι μὴ οὐ χρήματα ἔχειν ὑμῶν, τούτους μὲν ἀφεῖτε ἀνδρὶ ἐξαιτουμένῳ, ἡμῖν δὲ αὐτοῖς τε προθύμοις γεγενημένοις περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον καὶ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ὑμᾶς ἠδικηκότος οὐ χαριεῖσθε. καὶ εἰ μὲν ξένος τις ἐλθὼν ὑμᾶς ἢ χρήματα ᾔτει ἢ εὐεργέτης ἀναγραφῆναι ἠξίου, ἔδοτε ἂν αὐτῷ· ἡμῖν δὲ οὐ δώσετε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους ὑμῖν γενέσθαι;

omnis haec periodus cum vicinis nullo modo cohaeret, versatur autem in iis rebus, quae non ante, sed post hanc §um audientibus innotescunt. unde efficitur, immerito hanc §um hoc loco de iis quasi de notis atque probatis loqui. quid enim sibi vult actor filiorum meritis glorians, quae §§is 24 — 30 demum commemorat? quem ad finem patris innocentiam iactat, quam sequenti tamen §o demonstrare pergit? quid sibi vult ἀτιμίας imminentis mentio, cuius causam tamquam ignotam actor §o 32 explicat? nego quemquam hunc in modum orationem instituere potuisse. nam etiamsi δευτερολογίαν esse hanc orationem nemo non videat, tamen non verisimile est actorem ad res in primaria memoratas hoc loco respicere (nam cur e. g. filiorum merita testibus confirmare studeret?), sin vero tamen acta agere voluerit, suo quidque ordine ponere debuit. abeat igitur haec § ab hoc loco in ultimam orationis partem, cui etiam per se melius convenit. nam ad perorationem, non ad causae tractationem pertinet.

Haec exempla sufficient ut intelligatur, non solum in singulis vocibus librarium peccasse, sed universas sententias e suis sedibus in alias traiecisse. quae res vix explicari possit si textus integer librario sub oculis fuisset. iam vero

videamus quid de totius orationis processu et ordine sit censendum. ceteras enim partes, quamquam non unde fluxerint demonstrari potest, tamen non minus immerito suas sedes occupare inde cognoscitur, quod nullus inter eas connexus invenitur. omnis oratio dividi potest in certas quasdam partes, quas nullo damno quocunque modo libet altera alteri adserere licet. ad quod comprobandum percurramus textum atque uniuscuiusque fragmenti ut ita dicam ambitum circumscribere conemur.

Frg. I. § 1, 3, 4. Hae §§i connexu quodam inter se cohaerent, ita tamen ut § 2 errore irrepsisse videatur. nam si eam ad senatorum electionem referremus, cum Thucydidis narratione pugnaret. non a *φυλεταῖς* Polystratus senator electus esse potest, sed aut a quinque *προέδροις*, aut a centum primis electis, quorum quisque tres sibi collegas adrogavit. at non solum cum Thucydide, sed etiam, quod gravius esset, secum ipse actor pugnaret, hanc §um ad senatores referens. cum enim id agat, ut Polystratum a reliquorum crimine vindicet (cf §um 1) summa huius §i eo constare deberet, quod non omnes, sed aut solus aut cum paucis aliis Polystratus a tribulibus electus erat, ceteri vero ab aliis. vis igitur sententiae esset in verbis *οὗτος — ὑπὸ τῶν φυλετῶν*, cui opponi debuisset: *οἱ δ' ἄλλοι — ὑπὸ κ. τ. λ.* sed nihil eiusmodi in nostra §o inest, neque potest suppleri propter verborum collocationem. non enim fuisset scribendum: *οὗτος γὰρ ἡρέθη μὲν ὑπὸ τῶν φυλετῶν* . . . ., *κατηγ. δὲ*, sed: *οὗτος μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἡρέθη κ. τ. λ.*; nunc vero particula *μὲν* post *ἡρέθη* et particula *δὲ* post *κατηγοροῦσι* posita longe alium sensum eumque ineptum efficit. nam absurdum esset quemquam muneris male administrati accusatum confidentiam eorum prae se ferre, quibus illud munus debetur. iram, non benevolentiam moveret. quibus de causis hanc §um (quae etiam ad §um 1 cum §o 3

iungendam minime est necessaria) ab hoc loco alienam puto atque statuo

Frg. II. esse §um 2. quo vero connexu hoc fragmentum apte et utile positum fuerit, postea videbimus.

Frg. III. §. 5 et 6 usque ad vocem q. e. *πράγματα.* nullum huic parti cum prima est commercium. nam quod initium §i est: *καὶ κατηγοροῦσι κ. τ. λ.*, nullus est transitus, ubi aliud crimen antea nullum est commemoratum. quod vero ad argumentum attinet, erravit Francken, propter Oropi proditionem Polystratum antea causam dixisse putans. nam omnia haec pendent ex illo: *κατηγοροῦσιν ὡς πολλὰς ἀρχὰς ἦρξεν*, actorem vero, singulos honores deinceps perstringens commoratur in illa praefectura tamquam plebis amicitiae satis claro specimine. non igitur „Oropi infamia premebatur.“

Frg. IV. § 6 extr. de qua supra locutus sum.

Frg. V. § 7. usque ad vocem *ἀποφαίνουσιν.* neque haec ad Oropi proditionem spectare posse ex iis quae ad frg. III dixi, patet.

Frg. VI — XI. § 7 — 10. haec sunt totius orationis corruptissima. sed videtur corruptio quoque suum ordinem habere. hanc enim si placet figuram conspice:

1. *καὶ ὁμοίας τὰς κατηγορίας ποιοῦνται τῶν τε εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μή. οὗτος δὲ οὐδὲ γνώμην οὐδεμίαν εἶπε περὶ τοῦ ὑμετέρου πλήθους.*

2. *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι ἀξίους εἶναι 'τούτους μηδὲν πάσχειν ὑφ' ὑμῶν κακόν, εἰ ὑμῖν μὲν εὖνοι ἦσαν, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο.*

3ª. *τοὺς μὲν γὰρ ἐξήλαυνον αὐτῶν, τοὺς δ' ἀπεκτίννυσαν. (οἱ δὲ ἐκείνων ἔμελλον ἀκροᾶσθαι καὶ . . . . ., τούτους ἂν καθίσταντο. ὥστε οὐκ ἂν ῥαδίως μετέστη ἂν ὑμῖν ἡ πολιτεία.)*

2ª. *οὔκουν δίκαιοί εἰσιν, ὧν ὑμῖν εὖνοι ἦσαν, τούτων δίκην διδόναι.*

3. τῶν γὰρ λεγόντων ἐναντία ἐκείνοις οἱ μὲν ἔφευγον οἱ δ'απέθνησκον, ὥστε .... ἀπέτρεπε πάντας. ὥστε οἱ πολλοὶ πάντα ἐγίγνωσκον αὐτᾶν.	1ª. δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι, εἰ τοῖς εἰποῦσι περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμ. μὴ τὰ ἄριστα ὁ μηδὲν εἰπὼν ταὐτὰ πείσεται.

in hac figura textum, qualis traditus est, verbotenus descripsi, ita ut columnam sinistram sequatur dextera. sed dextera columna converso ordine (ut numeris 3ª, 2ª, 1ª significavi) lecta alterius videtur continere commentarium. nam quae numeris 1 et 1ª signata sunt, distinguunt inter eos qui sententiam dixerunt et qui tacuerunt; 2 et 2ª bonum rei erga plebem animum iactant poenamque ab eo defendunt, 3 et 3ª de periculo quod libere loquentibus imminebat agunt. quae vero hanc figuram turbant (quae uncis inclusi inter 3ª et 2ª) ab hoc loco plane aliena sunt. accusarent reum, non defenderent. ultima vero sententia §i 10 novam plane materiam sine transitu incipit tractare, quare sextum est fragmentum (columna sinistra pro uno habita.).

Frg. XII. § 11 et 12. integrum videtur hoc fragmentum, sed cum vicinis nullo transitu vel sententiarum connexu coniunctum. (cave ne particula *γε* fallaris, quam Scheibe pro particula *τε* posuit.)

Frg. XIII. § 13. nova denuo res, sine transitu tractari coepta. in qua nescio an librarium fefellerit vocum *δημότης* et *δημοτικώτερος* similitudo, ut hanc §um praecedenti adscriberet. nobis illud *δημοτικώτερος* in mentem vocat §um 22: *ὡς δ'ἦν δημοτικός, ἐγὼ ἀποδείξω.*

Frg. XIV—XVIII. § 14—22 usque ad vocem q. e. *δικαίου.* §um 13 cum §o 14 coniungere non audeo. nam initium §i 14 suspectum est. servato enim illo: *οὔτε ὀμόσαι οὔτε καταλέγειν* (quod cohaerentiae speciem dat) haud sanus est processus, cum sequatur *ἐπεὶ δ'ἠναγκάσθη καὶ ὤμοσε*

τον ὅρκον, ὀκτὼ ἡμέρας εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλ. κ. τ. λ. omisso illo καταλογέως munere. Bake καταλέγειν mutare iubet in εἰσελθεῖν, ut conveniat cum sequentibus (εἰσελθών). quae mutatio etiamsi nescio an recta sit, vox καταλέγειν in suspicionem certe est vocanda. nam qui eam ad praecedentia respicere putat, videat scribi debuisse: οὔτε καταλέγειν οὔτε ὀμόσαι, non converso ordine: οὔτε ὀμόσαι οὔτε καταλέγειν. quare §um 13 a §o 14 separandam censeo, quippe quae praeter illam vocem nullum cum illa habeat connexum.

Continet vero haec pars certum sententiarum ordinem, qui tamen nonnullis quae aliena sunt, interrumpitur. nam § 14 narrationem exhibet eorum quae sequentibus §§is tractantur. haec narratio tres partes habet:

1) ὀκτὼ ἡμέρας εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον

2) ἐξέπλει εἰς Ἐρετρίαν καὶ ἐδόκει ἐκεῖ τὴν ψυχὴν οὐ πονηρὸς εἶναι ἐν ταῖς ναυμαχίαις

3) καὶ τετρωμένος δεῦρ' ἦλθε, καὶ ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα.

prima pars in munere senatorio, altera in expeditione, tertia in reditu versatur. eundem vero quem haec narratio ordinem etiam sequentia habent, modo §i 20 ultimam partem in suum locum (§o 16 post vocem q. e. ἐποίουν; cf. quae supra dixi) restituamus et §§os 17 (inde a vocibus: καὶ οἱ κατήγοροι), 18 et 19 reiciamus. agitur enim

de munere senatorio:	§o 16 usque ad v. ἐποίουν. et §o 20 extr.
de expeditione:	§o 16 extr. § 17 usque ad v. ἀρχήν. § 20 init.
de reditu:	§ 21 et 22. (quarum commentarium est in §o 6.)

illae vero §§i 17, 18, 19 (a voce: καὶ οἱ κατήγ.) ne inter se quidem ullum habent connexum sententiarum vel verborum, quare quatuor fragmenta habemus. restat § 15

quae utrum eicienda an corrigenda sit non audeo pro certo pronuntiare. nam initium quod est: *καὶ οὐ φθονῶν τούτοις λέγω, ἀλλ' ἡμᾶς ἐλεῶν* non solum per se absurdum est (quis enim misericordiam petit propter veniam quam alii impetrarunt, non propter iniuriam in se ipsum commissam?), sed etiam connexum tollit qui inter praecedentia et sequentia intercedit modo iuxta legantur hunc in modum: . . . . . *τῶν δ' εἰπόντων ὑμῖν τἀναντία καὶ διὰ τέλους ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὄντων πολλοὶ ἀποπεφεύγασι.* (*καὶ* . . . . *ἐλεῶν*) *οἱ μὲν γὰρ δοκοῦντες ἀδικεῖν ἐξῃτημένοι εἰσὶν ὑπὸ τῶν ὑμῖν προθύμων γεν. κ. τ. λ.* eidem vero manu videtur etiam exitus §i deberi qui est: *πῶς ἂν οὖν οὐκ ἂν δεινὰ πάσχοιμεν;* nam etiam hic male misericordiam iudicum implorat propter aliorum salutem.

Frg. XIX. §. 23—29. haec uno tenore legi possunt. transitus vero inter §um 22 et §um 23: *ὡς δ' ἦν δημοτικὸς ἐγὼ ἀποδείξω*, non impedit quominus cohaerentiam desideremus.

Frg. XX. §. 30—36. haec etsi integra non esse facile e singulis intellegatur, tamen sententiarum quodam vinculo continentur. qua re nunc in unius fragmenti ambitum ea concludamus, salva singulorum censura. possunt etiam haec cum frg. XIX coniuncta esse, sed non debent. praeferenda vero in tanta corruptione nimia prudentia negligentiae.

Viginti igitur partes nullo ordine vel connexu consertas distinximus. iam igitur quaerendum erit, utrum omnes ad eandem orationem pertinere possint necne, sin minus, quae fragmenta ad eundem fontem videantur referenda esse.

At vestigium mihi occurrit quo luce clarius apparet non ad eandem orationem omnia illa fragmenta pertinere posse. Cui vestigio tantam vim attribuo, ut nullum auxilium petam ex iis, quae adhuc disputavi. iudicent igitur qui hanc

commentationem legunt de iis quomodo libeat, modo argumento quod iam proponam eo magis animum intendant.

Omnibus viris doctis filius Polystrati visus est huius orationis actor fuisse. Haec vero opinio partim inde nata est, quod reus saepe ab actore nomine patris appellatur, partim quod prima persona actor utitur ad filios significandos. Sed non constanter agit. Saepius quam nomine patris reum significat pronomine male apto *οὕτῳ*, filios in §o 4. tertia persona introducit. Atque non promiscue, ut fit, reum modo hac modo illa appellatione designat, sed aliis in partibus hoc, aliis illo utitur nomine. Quod ut melius intellegatur omnes voces quibus rei persona significatur, solis casibus obliquis pronominis *αὐτοῦ* omissis, conscribam et filiorum significationem iuxta scribam. hanc igitur figuram considera:

§ 1: *οὗτος Πολύστρατος*, § 2: *οὗτος γὰρ*, § 3: *οὗτος δὲ*, § 4: *τούτῳ δὲ,* § 6: *οὗτος δὲ — ὁ δέ*, § 7: *οὗτος*.

(in §o 4 filii tertia persona introducuntur.)

§ 11: *τοῦ πατρὸς*, *ὁ δὲ πατήρ*, § 12: *ὁ πατήρ*. (frg. XII.)

§ 14: *οὗτος*, *καὶ οὗτος*, § 16: *οὗτος*.

§ 19: *πατρός*. (frg. XVIII.)

§ 22; *οὗτος δὲ*.

(in §§is 15 et 18 actor de se prima quidem pluralis persona loquitur, sed filium non se declarat.)

§ 27: *πατρός*, § 30: *πατήρ*, *τούτου*, *τοῦτον*, § 33: *πατήρ*, § 35: *πατέρα*, *τουτονί*, *οὗτος*, § 36: *πατρί*.

(filii inde a §o 27 saepissime citantur et ubique prima persona.)

Habemus tres partes, in quarum prima reus numquam pater vocatur neque actor filium se declarat, in altera promiscue, ut quidem videtur, patris et filiorum usurpatur appellatio,

in tertia actor ubique filium se declarat reumque unaquaque §o patris nomine introducit.

Haec opinor, pro se ipsa loquuntur. pars prima et tertia non ab eodem actore in eadem oratione dictae sunt. sed quid de media erit statuendum? non promiscue in ea usurpantur appellationes, nam postquam in duabus primis §§is, 11 et 12, ter patris nomen audivimus, usque ad finem huius partis, i. e. §um 22, non nisi semel ista significatio occurrit. actor vero quamquam prima pluralis persona utitur ad se significandum, nullo modo se filium rei declarat. eiectis igitur e contextu §§is 11, 12, 19 nullum maneret vestigium actoris pro patre loquentis.

Quid igitur illas eicere dubitemus? nam duplicem iam habemus rationem, quoniam supra intelleximus, §§os 11 et 12 continere peculiare fragmentum XII, et §um 19 in ultimam orationis partem transferendam esse. quare pro tribus partibus iam duas habemus, quarum prior continet §§os 1—22 exceptis §§is 11, 12, 19, posterior §§os 23—36 additis §§is 11, 12, 19. §um 15 vero, in qua actor de se plurali numero loquens videtur filios significare, ab aliena manu deformatam esse iam supra suspicati sumus. in §o 18, ubi illud: *ἔρημον γὰρ αὐτὸν λαβόντες, αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν κατηγοροῦντες εἷλον* iam omnes vexavit interpretes, mutationem requiro qua efficiatur ut *ἡμῶν* referatur ad vocem *ἔρημον*, ut sit: amicis adiutoribusque destitutum.

Iam vero haec fragmenta ad diversos fontes pertinere manifestum est, et videtur altera series, § 1—22 exceptis §§ 11, 12, 19, ad orationem ab amico aliquo pro Polystrato habitam pertinere, altera ad orationem a filio pro patre aliquo habitam. duarum igitur (si non plurium) orationum haec quae vocatur oratio continet vestigia. quamobrem fieri non potest, ut simul de utraque agamus, sed primum de oratione A, deinde de oratione B disputabimus.

De oratione A.

Quamquam in duas partes omnia fragmenta divisimus, tamen in singulis divisio ista non multum valet nisi aliis rationibus stabilita. nam qui duarum orationum fragmenta in unum quasi centonem redegit, cur eum a tertia se abstinuisse putemus? quare non statim omnia fragmenta ad orationem A referre possumus, sed unum idemque maximum, i. e. XIV, (§§ 14, 16, 17 init., 20—22) pro fundamento habebimus, quocum cetera omnia erunt comparanda.

Fragmentum I (§ 1, 3, 4) et fragmentum XIV ad eandem causam spectant. agitur enim in utroque de munere senatorio sub quadringentorum dominatione administrato. neque a fragmento XIV separari potest frg. XI (§ 10 extr.) propter octo dies illos qui repetuntur in § 14. his igitur ad causae statum enucleandum adhibitis reus est Polystratus, septuagenarius, ante annum 411 bona fama idemque auctoritate apud plebem usus, multis honoribus functus, quadringentorum per octo dies invitus socius factus, data occasione Eretriam profectus, pugnarum navalium apud Euboeam commissarum particeps, unde non nisi post moram aliquam saucius Athenas reversus est, quadringentorum imperio iam sublato. senatoribus ad rationem dandam vocatis non cum plerisque collegarum solum vertit, sed ratione in logisterio data grandi pecunia multatus est. nunc vero ob causam adhuc ignotam reus factus ab amico aliquo hac oratione defenditur, in qua illarum rerum fit mentio.

Hoc est quod e fragmentis I, XI, XIV discimus. contra quod cum cetera fragmenta pugnare non videantur, iam indagemus, quid lucis illa afferre possint ad causae statum accuratius et plenius cognoscendum. actor non videtur in finibus certi cuiusdam criminis refutandi se continere, sed omnia fere a Polystrato gesta perstringere. unde suspicor hanc orationem in docimasia de honore aliquo ei mandando

instituta haberi, ad quem tribules eum votis elegerunt. nam eo, nisi fallor, tendit § 2 (cf. quod ad frg. I et II dixi), quae aptissimam praebet sententiam, si actor in ea utitur confidentia tribulium ad bonam Polystrati famam demonstrandam. quod igitur ibi legitur *ᾑρέθη*, dictum est de electione ad honorem aliquem, non ad munus senatorium sub quadringentis administrandum. atque e tali causae statu intellegi potest, cur nullius certae poenae imminentis mentio fiat, sed actor utatur locutionibus latioris significationis: *μηδὲν πάσχειν ὑφ' ὑμων κακόν, δεινόν δοκεῖ . . . εἰ τοῖς εἰποῦσι . . . . μὴ τὰ ἄριστα ὁ μηδὲν εἰπὼν ταὐτὰ πείσεται* (illorum vero plerosque absolutos esse dicit §§is 7, 14, 15), *καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα πονηροὶ ὄντες χρηστοί ἐν τῷ λογιστηρίῳ γεγένηνται, οἱ δ'ἀεὶ . . . . χρηστοί ἦσαν, οὗτοι πονηροί* (quod ad malam famam respicere videtur). nullum aliud igitur periculum Polystrato imminere videtur quam repulsa in honore petito. deinde etiam quae §o 20 leguntur: *οὐδὲ γὰρ εἴ τις τῶν ἐνθάδε μὴ τὰ ἄριστα λέγων πείθει ὑμᾶς, οὐχ ὑμεῖς ἐστε αἴτιοι, ἀλλ' ὁ ἐξαπατῶν ὑμᾶς*, monstrant non in iudicio sed in contione aliqua (seu civium, seu tribulium) hanc orationem habitam esse. nam in iudicio est iudicum cavere ne ab actoribus decipiantur, in contione vero omnes pro reipublicae salute loqui existimantur. contra quod si quis opponere velit initium §i 18, ubi occurrit iudicum appellatio: *ὦ ἄνδρες δικασταί*, secum reputet, quae fides transitibus inter fragmenta habenda sit, praesertim in §o 18, quam corruptam esse iam supra vidimus. ille vero unicus est locus ubi audientes appellantur. ceterum qui negabit in docimasia hanc orationem habitam esse, non habebit quo huius orationis causam explicet. nam etiamsi post quadringentorum dominationem eversam nonnumquam contra leges de actis actum esse non ignoro, tamen ad eiusmodi causam oratio nostra referri non potest. longe alia enim ratione

actori utendum fuisset quam quae in his quidem fragmentis observata est: verba fecisset non de poena imposita, sed de imminentis gravitate et iniuria, de odio adversariorum implacabili eiusque causa, de legibus non violandis quae actionem redintegrari vetant.

Has igitur ob causas hanc orationem in docimasia ab amico aliquo pro Polystrato habitam esse censeo, actorem vero respondere alicui *συκοφάντῃ*, qui senis famam maculare ausus erat mentione illius multae a logistis impositae facta.

Habita est oratio A inter annos 410 (quo anno veterem rempublicam restitutam esse (cf. § 17 extr.) Curtius censet) et 404, quo trigintaviri rerum potiti sunt, cuius rei nulla in hac oratione mentio fit.

Qua arte haec oratio sit composita difficile est ex his fragmentis aliquid colligere. periculum tamen faciamus.

Quod ad inventionem attinet, magna intercedit inter hanc orationem et Lysiae orationem 25, *δήμου καταλύσεως ἀπολογία* inscriptam similitudo. nam ut causae statu (oratio 25 enim in docimasia habita est) ita etiam argumentis ad defensionem adhibitis mirum in modum inter se consentiunt. maxima vero apparet similitudo inter or. 20 §um 4 et or. 25. §um 11—12:

ὅστις μὲν οὖν ἄτιμος ὢν κακόν τι ἐργασάμενος ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ ἑτέρας πολιτείας ἐπεθύμησε, διὰ τὰ πρόσθεν ἁμαρτήματ' αὐτοῦ ἐκεῖνα ἔπραττε. (ita scribendum puto) *τούτῳ δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἡμάρτηται ὥστε αὐτοῦ ἕνεκα μισεῖν τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον.*

ἐγὼ τοίνυν ἡγοῦμαι, ὅσοι μὲν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἄτιμοι ἦσαν εὐθύνας δεδωκότες ἢ τῶν ὄντων ἀπεστερημένοι ἢ ἄλλῃ τινὶ συμφορᾷ τοιαύτῃ κεχρημένοι, προσήκειν αὐτοῖς ἑτέρας ἐπιθυμεῖν πολιτείας, ἐλπίζοντες τὴν μεταβολὴν ὠφέλειάν τινα αὐτοῖς ἔσεσθαι. ὅσοι δὲ . . . . . ἐμοὶ τοίνυν, ᾧ ἄ. δ. οὔτε

	ἰδίᾳ οὔτε δημοσίᾳ συμφορὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ οὐδεμία πώποτε ἐγένετο, ἀνθ' ἧς τινος ἂν προθυμούμενος τῶν παρόντων ἀπαλλαγῆναι ἑτέρων ἐπεθύμων πραγμάτων.
Sed etiam	inter haec:
§ 1. *οὔ μοι δοκεῖ χρῆναι ὀργίζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων κ. τ. λ.*	§ 1—3. *ὑμῖν μὲν . . . συγγνώμην ἔχω . . . ἀκούουσι τοιούτων λόγων . . . . ὁμοίως ἅπασιν ὀργίζεσθαι . . . . . . δέομαι δ' ὑμῶν μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν τοῖς συκοφάνταις.*
§. 8. *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι ἀξίους εἶναι τούτους μηδὲν πάσχειν . . ., εἰ ὑμῖν μὲν εὖνοι ἦσαν, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο.*	§ 18. *ἡγοῦμαι δέ, ὦ ἄ. δ. οὐκ ἂν δικαίως ὑμᾶς μισεῖν τοὺς ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ μηδὲν πεπονθότας κακὸν κ. τ. λ.*
§ 13. *καταλογεὺς ὤν.*	§ 16. *οὐ τοίνυν οὐδ' εἰς τὸν κατάλογον Ἀθηναίων καταλέξας οὐδένα φανήσομαι, . . . ,*
§ 17. *οὐδεὶς τοίνυν ἂν εἴποι ὅτι πως τῶν ὑμετέρων ἔχει κ. τ. λ.*	*οὐδὲ πλουσιώτερος ἐκ τῶν ὑμετέρων συμφ. γεγ. κ. τ. λ.*

quare inventionis certe haud parvam laudem actor meruit, qui optimi oratoris attici artem hunc in modum aequavit.

De dispositione e §o 14 nonnihil colligi posse demonstravi supra ad frg. XIV. continet enim § 14 narrationem eorum, quae post aditum senatum facta sunt. ea igitur, quae ante id tempus acciderunt, ante §um 14 erunt collocanda. atque hic ordo usque ad §um 6 bene etiam observatur, tum vero usque ad §um 14 omnia susque deque profe-

runtur. ex his vero vestigiis apparet, ne in dispositione quidem orationem 25 et nostram valde discrepare. sunt enim hae:

I. Prooemium.

Or. 20 A.	Or. 25.
§ 1. non omnes quadringenti aeque sunt obnoxii.	§ 1—4. non omnibus τοῖς ἐν ἄστει μείνασι aeque est irascendum.
§ 2. bona rei fama spectatur in tribulium confidentia.	§ 5—6. quod privatam vitam meam accusare adversarii non audent, gravissimum bonae famae meae documentum est.

II. Tractatio.

A. § 3—4. ante aditum senatum nihil P. perfecit propter quod democratia ei esset timenda.	A. § 7—12. ante oligarchiam nihil perfeci, propter quod democratia mihi esset timenda.
§ 5—6. exempla boni erga plebis animi proferuntur.	§ 12—14. Exempla.
B. § 14. post aditum senatum optime se gessit	B. § 15—16. in oligarchia optime me gessi.
1. §§ (8, 9, 13?) 16, 20 extr. in senatu,	
Difficillimum erat illis temporibus non peccare.	
2. §§ 16 extr. 17, 20 init. in expeditione.	§ 16—18. difficillimum erat illis temporibus non peccare.
3. § (6), 21, 22 in reditu	
Digressio.	
§§ 17, 10, 15, 17, 18. inuria aliis temperatum est, Polystratus vero multatus.	

III. Peroratio.

Deest.	Salus reipublicae exigit ut ignoscatis concordiam que servetis.

quae in his dispositionibus differunt, ad causarum discrimen, non artis videntur referenda esse. iam vero ad elocutionem est transeundum.

Inter partes illas, quae utrique orationi communes sunt, tamen certum quoddam est discrimen. nam e. g. ea quae in nostra oratione unius §i (4) ambitu continentur, in oratione 25 octo §§os obtinent. pariter res se habet in aliis partibus. videtur igitur nostrae orationis actor breviloquentia quadam usus esse. quam breviloquentiam etiam ex comparatione huius orationis cum or. 20 B, cognoscimus. iudicum enim vel audientium appellatio, quae apud atticos oratores tam usitata est, plane neglegitur in nostra oratione (excepto §i 18 initio iam supra in suspicionem a nobis vocato) in orationis B fragmentis saepe, ut fit, intercurrit. deinde testes vel alia documenta in oratione A nusquam afferuntur, in oratione B filiorum quoque merita, quae *ἔξω τοῦ πράγματος* sunt, testibus confirmantur. similem prorsus in modum etiam oratio 11, quae sequentis est epitome, ab illa discrepat.

Sed etiam comparatione non adhibita brevitatis studium in oratione A animadvertitur. percurramus e. g. §§os 16 et 17: *οὗτος δ' ἐν πολλοῖς δηλοῖ ὑμῖν ὅτι εἴπερ τι νεωτερίζειν ἐβούλετο εἰς τὸ ὑμ. πλῆθ., οὐκ ἄν ποτ' ἐν ὀκτὼ ἡμέραις εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλ. ᾤχετο ἐκπλέων. ἀλλ' εἴποι ἄν τις ὅτι κερδαίνειν ἐπιθυμῶν ἐξέπλευσε, ὥσπερ ἔνιοι ἥρπαζον καὶ ἔφερον. οὐδεὶς τοίνυν ἂν εἴποι ὅ τι πῶς τῶν ὑμετέρων ἔχει, ἀλλὰ πάντα μᾶλλον κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἀρχήν.* quot res diversae in hoc parvo spatio! summa etiam in singulis elocutionibus festinatio cognoscitur, qua voces ad

sensum intelligendum minus necessariae omittuntur ususque graeci sermonis neglegitur. scripsit auctor brevitatis causa:

§ 1: τῷ ὀνόματι ὀργίζεσθαι	pro: ἐπὶ τῷ ὀνόματι.
„ „ τοῖς ἔργοις ἐνίων	pro: τοῖς ἔργοις τοῖς ἐνίων αὐτῶν.
„ „ ἐπιβουλεύσαντες	pro: ἐπιβ. τῷ ὑμ. πλήθει
εὖνοι ὄντες	pro: εὖνοι ὄντες ὑμῖν.
§ 4: ἔπραττε	pro: προσηκόντως ἔπραττε (cf. or. 25, 11)
§ 6: προέδωκε	pro: προέδωκε τὸ χωρίον.
§ 13: πλείους πολίτας	pro: πλείους τοὺς πολίτας ἐξ ἐλαττόνων.
§ 17: εἰς τὴν ἀρχήν	pro: εἰς τὴν τριηραρχίαν.
§ 18: εἶχε μαρτυρεῖν	pro: ἐτόλμησε μαρτυρ.
§ 20: ἔστε αἴτιοι	pro: ἔστε αἴτιοι τούτων.

his vero omnibus perpensis verisimile est epitomen nobis versari in manibus.

Haec vero sententia valde confirmatur re aliqua quam initio commentationis nostrae nonnumquam observavimus. inter fragmenta sunt nonnulla, quae aliorum fragmentorum commentarii videntur continere. eiusmodi sunt §i 6 extrema pars, quae §§orum 21 et 22 sensum pressius reddit; deinde § 9 et §i 10 init., qua sententias in §o 8 verbosius pronuntiatas iterari cognovimus. de quibus partibus ita videtur statuendum esse, ut §§os 21 et 22, et §um 8 vestigia primariae et verae orationis continere censeamus, §um 6 extr., et §§os 9 et 10 init. cum omnibus aliis fragmentis ad epitomen pertinere.

Habemus igitur in §§is 8, 21 et 22 eius orationis fragmenta, quae ab ipso auctore scripta est. quid igitur de auctore indicandum sit ex his solis §§is petamus.

Sed antequam ad illam primariam orationem A transeamus, de epitomatore loquamur.

Tironem, non eruditum hominem hanc epitomen composuisse ex elocutione colligi potest. nam etiamsi nulla fere utitur locutione apud Lysiam prorsus inaudita, (excepta fortasse illa: *ἐν πολλοῖς* pro *μάλιστα* in §o 16, quae Demosthenis aetatem sapit, cui etiam locutio *ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ* pro Lysiaca: *ἐν τῷ πρότερον χρόνῳ* convenit), tamen inopia verborum (redeunt nimis saepe voces: *τὰ πράγματα ἐκεῖνα; εὖνοι, ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι; καὶ κατηγοροῦσιν; ἀδικεῖν; γνώμην μὴ ἐπιτηδείαν; μὴ τὰ ἄριστα*) et imperfecta pro aoristo usurpata (*ἤθελεν, ἠνάγκαζον* § 14); denique *ἥρπαζον καὶ ἔφερον* pro *ἦγον καὶ ἔφερον*, ad finem particula *καὶ* nimis saepe adhibita, arguunt linguae imperitiam. quodsi quaestio instituitur de epitomatore, id quoque quaeri potest, num forte orationis XI auctor, quem epitomatorem esse manifestum est, idem sit atque noster. ad quam rem dignoscendam videamus, qua ratione orationis X epitomator usus sit. videtur autem his in rebus a textu pristinae orationis, i. e. decimae, abiisse:

1) eas potissimum partes orationis neglexit, quae ad artis leges magis quam ad ipsum causae statum spectant. omne prooemium omisit, leges Solonis, exemplum ab Areopago petitum, denique §§os 14, 24, 25, 29 in quibus omnibus ad *πάθος* aliquod actor insurgit magis quam rem ipsam expedit.

2) voces longiores cum brevioribus commutavit scribendo *ἐξ οὗ* pro *ἐξ ὅτου; ᾔδειν* pro *ἠπιστάμην; πάντα* pro *ἅπαντα* (bis); *ὤν* pro *γεγονώς*.

3) structuras saepe corripuit brevitatis magis quam perspicuitatis et attici usus studiosus, scribendo §o 1: *ὅτι δ' οὐ πεποίηκα, ἔτη γὰρ κ. τ. λ.* § 2: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν χρημάτων ἕνεκα ἐπεβούλευσα αὐτῷ· ὁ γὰρ πρεσβύτερος ἀδελφὸς πάντα λαβὼν ἀπεστέρησεν ἡμᾶς* (quae sententia sine orat. X intellegi plane non posset), § 9: *ὑποχείριος*

γέγονε pro: τὸ ἐκείνου σῶμα ὑποχείριον ἐγένετο; § 11: ἐὰν μὴ ἀποδεικνύῃ ἀληθῆ pro: ἐὰν μὴ ἀπ. ὡς ἔστιν ἀληθῆ τὰ εἰρημένα; ibd: ἑβδομήκοντα pro: ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα; § 10: τῆς δὲ τούτων κακίας (patre nusquam antea commemorato) pro: τούτου καὶ τοῦ τούτου πατρός κακίας.

4) auctorem corrigere studuit, scribendo: ὁπόσοι ἂν ἀνδροφόνοι εἰσιν pro: ὅσοι κ. τ. λ.; πολὺ γὰρ ἂν ἔργον εἴη pro: π. γ. ἂν ἔργ. ἦν; οὐκ ἂν ἀπεδέχου pro: οὐδ' ἂν ἀποδέξαιο; ἐὰν καλῇ — ἐὰν φῇ pro: εἰ εἴποι — εἰ εἴποι, πῶς οὖν οὐ δεινόν pro: οὐκ οὖν δεινόν; διὰ τί οὖν οὐκ ἂν λάβοιμι δίκην pro: οὐκ οὖν λήψομαι δίκην; pro: εὔθυναν: εὐθύνην; pro: εἴσιν ἔτη: ἔστιν ἔτη; πρὸς τοῖς ὑμετέροις ἱεροῖς pro: πρ. τ. ὑμετέροις; τῆς τῶν ἔργων διανοίας pro: τῆς τούτων διανοίας. in his enim mutationibus si quis temere eum egisse putet, animadvertat e. g. ter indicativum in optativum, bis optativum in coniunctivum eum mutasse, bis interrogationi rhetoricae quam vocant praeposuisse particulam (πῶς; διὰ τί).

5) multa scripsit de suo: coniunctiones: ἀλλὰ μήν; ὁμοίως; καὶ ταῦτα; formam συνοίδασι; voces: διέσπαρται; τὸν φυτεύσαντα; ἔξω θέμενος; ἐκλαμβάνειν.

scripsit igitur epitomator festinatione, confidentia in sui ipsius arbitrii, elegantiae parum studiosus, ad causae statum magis quam ad artem rhetoricam spectans. videtur igitur pinguis Minervae hominem fuisse, sed non tiro, quoniam neque in usu grammatico neque in verborum delectu anxie auctorem secutus est sed suo potius Marte quamvis male nonnumquam dimicavit. orationis nostrae epitomator vero cum multum in lamentationibus versetur et in elocutione se praebeat suis viribus minime confidentem sed Lysiam imitantem, non potest idem haberi atque ille.

Jam vero de orationis primariae auctore sententia est ferenda, cuius omnia hucusque disputata sunt fundamenta.

quid igitur sequatur ex argumento, ex arte, ex aetate ad auctoris personam agnoscendam videamus.

In argumento nihil inest cur orationem a Lysia abiudicemus. Lysiam enim quamvis paucorum dominationi inimicum tamen moderantiae studiosum fuisse complures loci docent, cf. 30,, 7; 31, 10. quid vero de ipsis illis qui post quadringentos eiectos saeviebant in eorum amicos censeat Lysias, ex orationis 25 §§is 25 — 27 satis superque apparet. quare tantum abest ut argumentum a Lysiae animo alienum fuerit ut mirum futurum fuerit, si Polystratum contra istum *συκοφάντην* Lysiae auxilium defecisset. nam quod ille iudicio heliaeae non traditus est cum rationem reddidit, sed a logistis multa affectus, id satis clarum documentum est culpam eius non ita gravem habitam esse.

Quod artem attinet, in inventione et dispositione Lysiam agnovimus ex comparatione cum or. 25. elocutionis artem, quam nonnisi e §§is 21 et 22 iudicare licet (nam § 8 propter totius loci, quo posita est, corruptionem non potest documento esse), Lysiae stilo inferiorem esse non opus est statuere. nemo enim interpretum in §§is 21 et 22 ad reprehendendum quidquam invenit.

Maximum vero obstaculum quominus Lysiae illam oratinem attribuamus videtur in aetate positum esse. omnes enim Lysiae interpretes eo consentiunt, ut ante trigintavirum dominationem Lysiam orationes aliis composuisse negent: oratio vero nostra post illorum imperium habita esse vix potest.

Sed vereor ne certa documenta absint quibus ista virorum doctorum opinio niti possit. narrant veteres, Lysiam *λογογράφον* factum esse post orationem contra Eratosthenem habitam, unde tamen non efficitur, artem eius ante illud tempus amicis numquam auxilio fuisse. nam in Sicilia iam eloquentia eius exculta (fortasse etiam in foro) quid mirum, si ab amicis saepe petebatur *συνήγορος*? quid minus verisi-

mile, quam eos semper repulsam tulisse? nam etiamsi facimus Lysiam natum esse anno 432, anno 408 iam quatuor et viginti annos natus erat. quae vero ipse in oratione contra Eratosthenem dicit §o 3: *ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄ. δ. οὔτ' ἐμαυτοῦ πώποτε οὔτε ἀλλότρια πράγματα πράξας νῦν ἠνάγκασμαι . . . κατηγορεῖν κ. τ. λ.*, ea non ad scriptas orationes, sed ad habitas referenda esse monet usus locutionis *πράγματα πράσσειν.* ceterum fori insolentiam prae se ferre illo tempore erat artificium usitatissimum eamque ob causam suspectum. quare ne in aetate quidem orationis causam video cur haec oratio Lysiae abiudicanda sit.

Fuisse vero qui orationem aliquam pro Polystrato habitam Lysiae adscripserint, Harpocration auctor est, qui ne ipse quidem ab eorum opinione abhorret. videntur illi non epitomen, sed pristinam integramque orationem in manibus habuisse.

quare sententiam meam hunc in modum complector:
ad aliam causam pertinent §§i 11, 12, 19, 23—36.
ad pristinam Lysiae orationem pertinent §§i 8, 21, 22.
ad epitomen omnia cetera. sed huius epitomae non nisi fragmenta habemus.

De oratione B.

Causae quibus §§os 11, 12, 19, 23—36 ab oratione A seiungendas esse putamus, hae sunt:

1) in oratione A reus semper pronomine *οὔτῳ* appellatur, filii tertia persona designantur, in illis vero partibus actor est rei filius.

2) in oratione A omnis elocutio minus plena est et iudices numquam appellantur, qui saepius occurrunt in illis partibus.

3) testium citatio in oratione A neglegitur quae tamen in ipsa causa versatur, in illis partibus filiorum quoque merita, quae ad rem nihil faciunt, testibus confirmantur.

4) in oratione A nulla certa imminentis poenae mentio, sed iam impositae: in ceteris fragmentis multae impositae nulla mentio, sed pecuniae solvendae.

5) in oratione A nonnisi reus ipse a periculo defendi videtur, in reliqua parte etiam filii periculi consortes sunt.

quas ob causas necesse est nunc de reliqua parte separatim diiudicemus.

At res est difficillima. tractatio causae non in manibus nobis est, sed quae habemus, aut ad integrae orationis perorationem, aut ad epilogum quam vocant pertinent, e quo de causa ipsa nihil fere statui potest. deinde quamquam plenius haec oratio procedit quam oratio A, tamen corrupta et obscura est ita ut ii potissimum loci, e quibus aliquid tandem speraveris de causae statu posse enucleari, maxime secum ipsi pugnent. quare iam a principio confiteor, in argumento explicando mihi ipsi satisfacere me non potuisse. tamen dicam, quod sentio.

Dubitari non potest, quin filius hac oratione suam ipsius causam, non solum patris, defendat. id enim probant locutiones: § 30: *τοῦτον τε σῶσαι καὶ ἡμᾶς;* § 31: *εἴ ποτε κίνδυνος εἴη ἡμῖν;* § 32: *περὶ ἡμῶν γάρ ἐστι ψῆφος ὑμῖν, καὶ οὐ περὶ χρημάτων;* § 33: *πρόθυμοί ἐσμεν, εἰδότες ὅτι χρήματα ἡμῖν οὐκ ἔστι πόθεν ἐκτίσωμεν;* § 35: *μὴ ἡμᾶς ἀντὶ μὲν ἐπιτίμων ἀτίμους ποιήσητε;* ibd: *εἰ δ' ἡμᾶς ἀδίκως ἀπολεῖτε, πῶς η οὗτος ἡμῖν ἡδέως συνέσται ἢ ἡμεῖς ἀλλήλοις;* § 19: *ἡμῖν δ' οὐ δώσετε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπιτίμους ὑμῖν γενέσθαι;*

Filiorum vero criminis nullum est vestigium, sed solius patris.

Statuendum igitur videtur, crimen patris esse eiusmodi, ut non solum ad ipsum sed etiam ad liberos poena pertineat.

Sed extat difficultas. nam poenam esse magnam pecuniam cum e §o 33 satis constet, efficeretur, propter patris crimen filiis quoque multam impositam esse, ita ut propter tenuem rem familiarem infamia iis immineret. eiusmodi vero poenae nullum exemplum invenitur. nam etiamsi non ignoro propter criminis gravitatem infamiam interdum Athenis non solum reo, sed toti familiae adiudicatam esse, tamen eiusmodi infamiam, quae e pecunia non soluta nascitur, soli reo attributam esse necesse est ut credamus. quare intellegi non potest, cur propter crimen patris filios multa expectet.

Fieri non potest quin hoc loco proferam suspicionem, patrem re vera mortuum esse tum cum haec oratio habebatur, §um 35 vero, quae sola patrem viventem inducit, a librario haec fragmenta et ea quae ad orationem A pertinent consociandi studioso interpolatam esse. nam multae causae sunt, quae hanc opinionem commendant. primum enim tum optime causae status intellegi potest. patre enim mortuo ad filios transire solebat officium pecuniae solvendae, quare tum intellegimus, cur infamiae periculum sit filiis. deinde mirum est, quod actor fere ubique de suo et fratum periculo loquitur, nulla vero in sententia claris vocibus de patre in periculo versante. immo ne de culpa quidem patris verba facit actor, sed de suis et fratrum meritis. denique §um 35 et omnem illam periodum integram non esse eo satis probatur, quod omnes interpretes multum in ea haesitarunt. ceterum studium librarii fragmenta haec omnia consociandi iam supra nonnumquam animadvertimus, e. g. in §§is 15, 18 init., 22 extr. has igitur ob causas non de patre, sed de filiis hac oratione agi censeo. crimen vero patris, quo factum erat ut multa ei imposita esset, fuisse paucorum amicitiam

e §§is 11, 12, 27 concludo. haec habui quae de argumento dicerem.

Iam vero ad artem nos convertamus. quod ad inventionem attinet, nihil fere nisi loci communes in his quidem fragmentis proferuntur. nam merita stipendiis et liturgiis comparata, propter quae gratiae nunc petantur, salus et honos reipublicae, quae postulent ut bonis civibus parcatur, misericordiae imploratio, quae etiam in minus iusta causa locum habeat: haec sunt, quae maximam partem orationis quatenus conservata est explent.

Sed multis in locis cernitur actoris insolentia fori temporumque inscitia. videamus e. g. quae sint illa filiorum merita, quae solum continent actoris refugium. actor ipse in Sicilia stipendia meruit, ubi post cladem acceptam (*διεφθάρη τὸ στρατόπεδον*) e Catana excursionibus faciendis non solum deae persolvit tributum tringinta minarum, sed etiam quotquot milites in hostium manibus erant redemit in libertatem! quis hoc credat, lecto Thucydide? nemo igitur captivus Syracusis relictus, nemo in latomias missus?

Sed cave ne culpam librarii actori attribuas. nam e verbis §i 25: *ἱππεύων καὶ ὁπλιτεύων* docemur ordinem narrationis turbatam esse, in quo equitatio praecedere debebat. deinde in illo: *Καταναῖοι ἠνάγκαζον ἱππεύειν* omnes interpretes haeserunt, Scheibe suspicatur: *ἠναγκάζοντο ἵππους παρέχειν* vel *πορίζειν*; id quod probandum mihi videtur, modo ante cladem acceptam positum sit. quare hunc in modum transponi iubeo §um: *καὶ ἐμὲ εἰς Σικελίαν ἐξέπεμψεν· καὶ ἐπειδὴ Καταναῖοι ἠναγκάζοντο* (vel *ἠναγκάσθησαν*) *ἵππους παρέχειν* (cf. Thuc. VI, 94 et 98), *ἐληιζόμην ὁρμώμενος ἐντεῦθεν* (etiam excursiones melius fiunt equitando) *καὶ τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίουν, ὥστε τῇ θεῷ τε τὰς δεκάτας ἐξαιρεθῆναι πλέον ἢ τριάκοντα μνᾶς καὶ τοῖς στρατιώταις*

εἰς σωτηρίαν, ὅσοι ἐν τοῖς πολεμίοις ἦσαν (ante cladem), *ὥστε εἰδέναι τοὺς ἱππέας* (etiam hoc quod initio §i 24 positum est, ibi ridiculum esset), *οἷος ἦν τὴν ψυχήν, ἕως τὸ στρατόπεδον σῶν ἦν. ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην εἰς Κατάνην, ἡμῖν* (pro *ὑμῖν*) *δ' οὐκ ἦν ἱππεύειν, ὡπλίτευον καὶ οὐδενὸς οἶδ' ἐνταῦθα κινδύνου ἀπελειπόμην, ὥστ' εἰδέναι ἅπαντας οἷος ἦν τὴν ψυχὴν ἱππεύων καὶ ὁπλιτεύων.*

in hunc fere modum §um restituendam esse persuasum habeo. sed qualem fuisse condicionem fontis putemus e quo librarius noster hausit!

Sed ne ita quidem actorem rerum veritatem tueri puto, sed meritum suum nimis augere. unum enim virum praedando tantas opes comparasse, ut omnes captivi redimi possent, quis credat? deinde ubi fuerit dum ipsa clades accipitur in obscuro relinquit.

neque minus dubitationi subiecta sunt quae de fratre minore natu profert. quaenam est illa *καταδρομή*? quinam *φυγάδες*? quadringentorum, an trigintavirum? in neutros quadrat. nam de quadringentis nihil eiusmodi narrat Thucydides, neque per se verisimile est, fugitivos, (fundatores cum Aristarcho, cf. Thuc. 8, 98) tale quidquam ausos esse. de trigintavirum vero exulibus intellegi non potest, qui plebis amici essent. suspicor auctorem temporum inscitia confudisse utrorumque exulum res gestas.

Inepta etiam patris est epistolae commemoratio. ex argumento tam alte repetito quis iudicum non magis defensoris inopiam quam bonam rei conscientiam cognoscere debebat? cum praesertim ne fides quidem magna haberi possit litteris a filio ipso propositis. neque omnino ad rem pertineret ista defensio. nam in illo nuntio: „redito quando res in Sicilia bene se habebunt;“ non plebis, sed patriae amor apparet, hoc vero loco de plebis amicitia loquendum erat.

Sed cur omnes nugas, quas actor proponit, perstringam? satis superque actorem arguunt neque rei forensis neque rerum graecarum peritum.

De dispositione nihil dici potest cum quia fragmenta haec sunt tum quia ipsa fragmenta integra non sunt. nam ut in §§is 24 et 25 ita etiam inde a §o 30 usque ad finem omnia susque deque tractantur. nam qui illam partem accurate perleget, videbit in §o 30 eandem rem bis dictam esse, in §o 31 sententiam proferri quae §o 33 extr. contraria est, ibd. voces: *ἐάν τις πρόθυμος εἰς ὑμᾶς ᾖ*, absurdas esse, etc.

In elocutione quamquam singulis nulla fides habenda est, tamen nonnulla tam saepe repetuntur, ut consuetudinem actoris monstrare videantur. sunt vero haec:

1) in verborum delectu inopia auctoris cernitur. non curat eiusdem vocis repetitionem § 23: *συνειδότες* et statim *συνειδέναι*; § 26 quinquies particula *καί*; § 23: *λέγουσι, λόγον, λέγεται*; § 31 et 34: *πεπείρασθε — πεπείρασθε*; § 35 et 36: *δεόμεθα — δεόμεθα*; § 36: *ἐλεῆσαι — ἐλεήσαντας*; ibd: *ἐσώθημεν, σώζεσθαι, σωθῆναι*. redeunt nimis saepe locutiones; *οἷος ἦν τὴν ψυχήν*; *πρόθυμος εἰς ὑμᾶς*; *ἐξαιτεῖσθαι*; *ἀπολεῖσθαι*; *ἐγὼ ὑμῖν ἀποδείξω*.

2) imperfectum pro aoristo ponit: § 12: *ἐξέτινε*; § 11: *κατηγόρουν*; § 19; *ἔδοτε* (sed *ἠξίου* et *ᾔτει*), § 27: *ἐπέστελλεν*.

3) delectatur personam subito mutando § 24; *διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην*; § 26: *διηγούμην καὶ ἐποίει*; § 27: *τὰ οἰκεῖα ἐνεγέγραπτο καὶ ἔτι ἥκειν*; § 29: *ἴσασιν, οἵτινες ἦτε* (ad testes ipsos se convertens, nam sequitur testium citatio).

4) adiectivum *δίκαιος* numquam, (ut plerumque Lysias) impersonali structura adhibet: § 11: *οὐ δίκαιός ἐστι βλάπτεσθαι*; § 30: *δίκαιοί ἐσμεν τοῦτον σῶσαι*; § 34: *δικαιότεροί ἐστε χαρίσασθαι*.

5) delectatur membra cohaerentia disiungendo; § 25: *οὐδενὸς οὐδ' ἐνταῦθα κινδύνου*; § 28: *οἱ ὅτι οἱοί τε ἦσαν κακὸν ἐποίησαντο*; § 30: *τούτων δεῖ ἡμᾶς ἕνεκα*; § 34: *τούς τε παῖδας δι' αὐτὸν εἰ ἀτιμωθήσονται ἐλεοῦντες*; etiam § 19: *ξένος τις ἐλθὼν ὑμᾶς ἢ χρήματα ᾔτει ἢ εὐεργέτης ἀναγραφῆναι ἠξίου*, (nisi scribendum est *πρὸς ὑμᾶς*, quod puto.)

6) solet obiecto addere relativam sententiam: § 25: *σκέψασθε τὴν ἐπιστολὴν πότερα ἦν*; § 28: *τὸν ἀδελφὸν οἷος ἦν*; § 31: *ἡμῶν πεπείρασθε οἷοί ἐσμεν*; § 34: *οὓς οὔπω ἴστε εἴτε ἀγαθοί . . . . ἔσονται*; ibd. *οὓς οὐκ ἴστε ὁποῖοί τινες ἔσονται*.

Apparet auctorem quamquam sermonis nullam habet elegantiam, tamen certis quibusdam loquendi figuris delectari easque nimis saepe adhibere. haec vero tironis sunt, qui praeceptoris leges anxie et sine modo observans nonnumquam tamen in elementis labitur. ad idem iudicium cum etiam inventionis vitia nos conduxerint, videtur omnis oratio habenda esse pro declamatione rhetorica in scholae umbra conscripta a discipulo posterioris aevi, qui fortasse Lysiam imitari voluerit.

Iam vero quid de oratione quae vocatur vigesima codicis palatini censendum sit satis demonstratum puto. restat ut loquar cum de usu, quem rerum graecarum scriptores ex his quae disputavimus haberi possint tum, quid inde sequatur ad codicis palatini naturam probabilemque emendationis rationem constituendam.

Ut vero primum disseram de rebus ad res graecas eius aetatis, qua oratio habita est, pertinentibus, sequitur ex iis, quae disputavimus, ut iis fragmentis, quae ad orationem B pertinent, nulla fides habenda sit, quoniam oratio B nobis visa est composita esse a tirone rerum graecarum parum perito. quare cum ea, quae §§is 24—28 ad filiorum merita

demonstranda proferuntur, tum ea, quae §§is 11 et 12 de Phrynicho narrantur, magnae suspicioni subiecta sunt.

Cetera vero fragmenta, quae ad epitomen orationis A et ad ipsum orationem A pertinent, non video cur non adhiberi possint ad illustrandam illius aetatis historiam. nam cum ipsam orationem A Lysiae adiudicandam esse arbitremur, epitomen vero confectam esse ab homine quam de suo quidquam addidisse non verisimile sit, non est cur non ipsius Lysiae de sua aetate testimonium habeamus in his fragmentis, dummodo ea, quae a librario interpolata, mutata, transposita sunt, satis magna cum cautione accipiamus atque ubi fieri potest, in integrum restituamus. quomodo vero singula, quae in oratione commemorantur, intellegenda sint, videamus omne orationis A argumentum percurrentes.

Polystratus rediit Athenas post Oropum proditam i. e. anno 411 vergente (cf. Thucyd. 8, 60) causam vero ob illam proditionem eum dixisse e §§is 6 et 7 nullo modo colligi potest. (cf. quod ad frg. III dixi) senator, ut alii, a *προέδροις* designatus esse debet secundum Thucyd. 8, 67. Qua in re viris doctis difficultatem exhibuit § 2, quam suam sedem non obtinere sub frg. I agnovimus. dicit enim Wattenbach in dissertatione de quadringentorum Athenis factione pag. 38 in annotatione 4, qua loquitur de *συγγραφεῦσι*, qui teste Thucydide sententiam dixerunt de re publica in oligarchiam commutanda: „a singulis tribubus binos electos esse cum C. Fr. Hermanno (Staatsalt. § 166, 13) concludas e Lysiae pro Polystrato oratione, vel potius orationis vestigiis et ruderibus § 2. verum quomodo Polystratus aut *ξυγγραφεύς* aut *πρόεδρος* esse potuit, qui ne senator quidem sponte factus est? nam proedri soli e senatoribus tribulium suffragiis electi esse possunt, et vix dubito, quin Lysias, (qui tum absens fuit) quinque primorum electionem in ceteros trans-

tulerit. certe verba ad solam senatus institutionem pertinent.“ Hermann igitur §um 2 rettulit ad electionem ξυγγραφέων, Wattenbach vero, cum Polystratum συγγραφέα fuisse non credat, Lysiae errorem suspicatur. nos vero neque cum hoc viro docto errorem, neque cum illo insolentissimam Lysiae obicere debemus structuram, qua a senatorum electione subito ad συγγραφέας antea nulla voce commemoratos transeat. senator igitur designatus Polystratus iusiurandum non statim praestitit, (cf. §um 14), coactus vero senatui interfuit octo dies atque silentium tenuit. ad hanc argumenti partem cum nonnisi §§i 8 et 9, quae corruptissimae sunt, pertineant, accuratius quidquam statui vix potest. immerito autem Wattenbach cum ex his §§is tum e §o 17 de senatoribus conclusionem fecit hunc in modum. pag. 48: „singulos deinde homines a quibus metuerent et ex ipso senatorum numero qui decreta vituperare conarentur interfecerunt, cf. Lys. p. Pol. 8, 9“, et pag. 58: „de quadringentorum avaritia vide Lys. p. Pol. 17: ὥσπερ ἔνιοι ἥρπαζον καὶ ἔφερον.“ quod ad crudelitatem in senatores admissam attinet, eorum nonnullos interfectos esse non traditur. nam §§i 8 et 9 non necessario ad senatus deliberationes sunt referendae, Thucydides vero tale quidquam nullo loco narrat, qui non nisi ante oligarchiam constitutam nonnullos homines οὐ πολλούς interfectos esse tradit. neque § 17 ad senatores referri potest, quia illi in urbe erant, illud in Euboea gestum est. Hae res alicuius momenti mihi videntur esse, quoniam multa huic quadringentorum dominationi attribuuntur, a quibus illi longe alieni erant.

octo igitur per dies senatu adito Polystratus Eretriam abiit. quodsi cum aliis ad pugnam navalem abiisset, quo tempore senatum ingressus sit satis constaret. sed ita non puto propter §um 17: ἀλλ' εἴποι ἄν τις ὅτι κερδαίνειν ἐπιθυμῶν ἐξέπλευσεν, ὥσπερ ἔνιοι ἥρπαζον

καὶ ἔφερον. ita non locuturum fuisse actorem iudico, si ante proelium Polystratus in Euboea non fuisset. neque enim in proelio, sed per otium milites praedari solent. naves vero in Euboea fuisse Thucydides auctor est (cf. 8, 95: *ταῖς πρότερον ἐν Εὐβοίᾳ οὔσαις*). ceterum si ad pugnam ipsam abiisset, id silentio vix in §§is 14 et 16 praeteriri poterat. quare quo tempore iusiurandum praestiterit non possumus accurate definire. sed ad verisimilitudinem tamen pervenire licet. cum enim non statim cum aliis, sed coactus senatum adiret (§ 14), putandus est eorum aliquis fuisse, qui quadringentis ipsi non amici, ab illis propter auctoritatem bonamque famam qua fruebantur petebantur facinorum consortes. hanc vero rationem coniurati non statim ab initio, sed tum maxime sunt secuti, cum eorum res iam labefactari coeptae sunt. quare Polystratum senatum adiisse puto post nuntium Alcibiadis acceptum castellumque Eetioniae eversum. atque id temporis etiam accidisse videtur ut *κατάλογος* quinque millium conscriberetur, ad quem § 13 respicit. de qua §o in magnum errorem abiisse Wattenbachium puto pag. 40 hoc scribentem: „conscribenda eorum (sc. quinque millium) nomina certis viris mandavisse (sc. pauci) dicuntur, qui *καταλογεῖς* vocantur, quos ab illis triginta viris (sc. *συγγραφεῦσι*) non diversos fuisse sunt qui tradant. sed non crediderim, cum Polystratus *καταλογεὺς* fuerit, *συγγραφεὺς* non fuerit. (nam si fuisset, fieri non poterat quin hoc potissimum crimini ei verterent, sed tum in defensione quamvis manca praeteriri non poterat.) ii vel omnes vel partim etiam post quadringentorum dominationem rescissam in magistratu manserunt. Polystratus enim novem civium millia in tabulas rettulisse dicitur, a quadringentis autem nulla umquam nomina in publicum prolata esse scimus. neque vero intra nonum diem tantum opus absolvi potuit;“ et pag. 64: „manserunt in magistratu (sc. post oligarchiam eversam) *καταλογεῖς*, ad

consignanda eorum qui cives optimo iure essent nomina, aut a quadringentis aut una cum iis electi, si non omnes, certe Polystratus, qui novem civium millia in tabulas rettulit.“ me quidem iudice Polystratus sub quadringentis quinque millium *κατάλογον* confecit, ita tamen, ut primum quidem (arrogatis sine dubio nonnullis adiutoribus) novem millia nominum conscriberet eo consilio, ne recusantium nominibus deletis numerus constitutus diminueretur. Wattenbach vero eo mihi errasse videtur, quod §um 13 rettulit ad tempus post quadringentos eversos, cum e §o 14 doceamur, in eo comitio, quo potestas quadringentorum quinque millibus restituta est, (Thucyd. 8, 97) Polystratum praesentem non fuisse (*ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα*) neque verisimile sit, ei qui magna pecunia paullo post reditum multatus est, illud negotium postea esse mandatum. quod vero Wattenbach putat, sub quadringentis nomina quinque millium conscripta non esse, non video quo fundamento illa opinio nitatur. Lecto enim Thucydide 8, 72: *πεντακισχίλιοί τε ὅτι εἶεν καὶ οὐ τετρακόσιοι μόνον οἱ πράσσοντες· καίτοι οὐ πώποτε Ἀθηναίους διὰ τὰς στρατείας καὶ τὴν ὑπερόριον ἀσχολίαν ἐς οὐδὲν πρᾶγμα οὕτω μέγα ἐλθεῖν βουλεύσοντας ἐν ᾧ πεντακισχιλίους συνελθεῖν*, atque 89: *τοὺς πεντακισχιλίους ἔργῳ καὶ μὴ ὀνόματι χρῆναι ἀποδεικνύναι*, denique 93: *λέγοντες τούς τε πεντακισχιλίους ἀποφανεῖν*, verisimilius puto, *κατάλογον* quidem extitisse, sed non promulgatum esse eo consilio ut efficiatur quod Thucydides (66 extr.) significat verbis: *βέβαιον τὴν ἀπιστίαν τῷ δήμῳ πρὸς ἑαυτὸν κατέστησαν.* quas ob causas Polystratum vel ante senatum aditum, vel senator illum *κατάλογον* confecisse puto. de *καταλογέων* vero munere atque utrum a *συγγραφεῦσι* differant necne, lexicographi adeo variant, ut certi quidquam vix statui possit. in nostro loco non *καταλογεῖς*, sed unus citatur *καταλογεύς*, quem *ξυγγραφέα* non fuisse cum Watten-

bachio persuasum habeo. occasione igitur data Polystratus, iussu ut necesse erat senatorum post octo dies τριηράρχης, nisi fallor (cf. § 17: τὴν ἀρχὴν et Thucyd. 8, 95) Eretriam abiit ad Euboeae custodiam, parvo temporis spatio intermisso pugnis navalibus interfuit. vulneratus non ante quadringentos sublatos rediit atque in subeunda εὐθύνῃ a logistis multatus est, (§§ 10 extr., 15, 21, 22) teste prae timore nullo adiuvante (§ 18). hoc vero aliis quoque accidisse, Andocides docet 1, 18: . . . . . Πατροκλείδης εἶπεν . . . . ., καὶ ὅσων εὐθῦναί τινες εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων κ. τ. λ. cum vero ab euthynis omnes fere, qui poenae digni visi sunt, heliaeae traderentur, illorum crimen non ita grave habitum esse satis apparet. quinque millibus iam remotis (§ 17 extr.) in tribulium coetu ad munus aliquod honorificum ᾑρέθη non sorte, sed votis (§ 2), de quo cum docimasia institueretur, surgit δημαγωγός aliquis electionem dissuadens, illius multae mentione facta. cui aliquis Polystrato amicus aut post ipsum aut primus respondet oratione, cuius epitomae haec nobis in manibus versantur rudera.

haec sunt quae ad res illa aetate gestas illustrandas ex hac oratione colligenda esse arbitratus sum. iam vero ad alterum excursum transeamus, quo quid de codicis natura ex orationis quam vocant vigesimae condicione concludi possit indagabimus.

Neque enim quisquam non videt, in illa quidem oratione librarium qui eam descripsit non unum integrumque fontem sub oculis habuisse, sed varios eosque maxime mutilatos, e quibus partes nondum coniunctas in unum quasi centonem coegit. neque minus ipsius librarii agnovimus rationem, qui non multa doctrina neque prudentia, suo arbitrio ordinem fragmentorum illorum constituit neque singularum vocum mutatione se

abstinuit. quas observationes si non solum de hac oratione, sed de codice palatino in universum valerent, maximi momenti esse ad criticorum negotium nemo non videbit. nam sicut medicus, antequam iudicium ferat de remedio adhibendo, non solum naturam morbi, sed etiam sedem et originem invenire studet, ita etiam criticus, qui originem mendae cognoverit multo facilius et rectius emendationem reperiet. quare si istum textus constitutionem ad omnem codicem valere constaret interpretes, qui nunc in Lysia occupati sunt, a singulorum peculiari censura transirent ad dispositionem orationum imprimis cognoscendam, e qua intellecta de partibus interpolatis, de vocibus mutatis, de ordine turbato diiudicandum esset. quamobrem sequente parte id agam, ut demonstrem, eas orationes, in quibus maxime haesitarunt interpretes, eodem vel simili corruptionis genere affectas esse, ita ut in omnem codicem palatinum principia illa cadant, quae in oratione vigesima observavimus.

Corruptelarum, quas in hac quam vocant oratione agnovimus, varietas redit ad haec genera:

1) sententiae sunt transpositae.

2) fragmenta nullo ordine conserta sunt.

3) illorum fragmentorum fontes non distincti sunt. uniuscuiusque igitur corruptionis vestigia alioquin in codice palatino conemur commonstrare.

1. Transpositionis exempla apparent in or. IV, § 3 et 4, et in or. VIII, § 4 et 6.

Orationis IV, quam mutilatam habemus, dispositonem, vel certe dispositionis magnam partem e §§is 10 et 11 colligere possumus, quae summam controversiae comprehendunt. e quibus intelligitur, §§os 1 — 4 versari in ea controversiae parte, quae significatur verbis, *εἰ διηλλαγμένοι ἢ ἔτι ἐχθροὶ ἦμεν.* ad quam discernendam duobus argumentis actor utitur, primum, quod bona ex antidosi accepta reddita

sint, deinde quod in munere iudicis ab adversario petito actor amicum se gesserit. sed obscurae sunt § 3 et 4, in quibus primum illud difficultatem praebet, ad quem tandem finem actor rem, quam nullis testimoniis confirmare se posse ipse concedit, proferat, deinde quid sit illud *ἔγραψε μὲν ταῦτα εἰς τὸ γραμματεῖον*, porro quam ob causam Diocles et Philinus iusiurandum non praestiterint, denique quo referenda sit ultima sententia inde a vocibus: *ἐπεὶ σαφῶς*.

At luce clarius videtur, illud *ἐπεὶ κ. τ. λ.* ad initium §i 3 pertinere post vocem *νικᾶν*, atque a librario male transpositum esse. hic igitur ordo videtur restituendus esse: *ἐβουλόμην δ' ἂν μὴ ἀπολαχεῖν αὐτὸν κριτήν, ἵν' ὑμῖν φανερὸς ἐγένετο ἐμοὶ διηλλαγμένος, κρίνας τὴν ἐμὴν φυλὴν νικᾶν· ἐπεὶ σαφῶς ἔγνωτ' ἂν ὅτι ἡμεῖς ἦμεν αὐτὸν οἱ κριτὴν ἐμβαλόντες κ. τ. λ.* voces *ἔγραψε μὲν ταῦτα* male a Franckenio ad pactum inter adversarios compositum referri omnes fortasse censerent, modo haberent, quod pro ista opinione accipere possent. at mihi levissima mutatione pro *ἔγραψε* scribendum videtur *ἔγραψα*, ut de nomine adversarii in urnam demisso intelligatur. ad quam propositionem etiam Marklandi coniectura redit pro *ταῦτα* scribere iubentis *τοὔνομα*, quod tamen nescio an necessarium sit.

Sed ridiculum esset omne argumentum ne levissima quidem confirmatione addita. bene se haberet sententia, si hunc in modum posset accipi ut sit: „utinam iudex iste consedisset, tum enim ipse suo voto clarum reconciliationis documentum praebuisset. sed nunc quoque ex illa re mea certe amicitia intellegi potest. sciunt enim et mihi confirmabunt D. et Ph., meum votum in illius favorem latum esse.“ quare censeo, verba quae sunt: *ἀλλ' οὐκ ἔστι κ. τ. λ.* usque ad vocem *φεύγω* a librario addita esse, quem fefellit initium *ἐβουλόμην δ' ἂν κ. τ. λ.* videntur post vocem *ἴσασιν* sequi debere testimonia Dioclis et Philini, quibus etiamsi

non adversarii in se amicitiam, suam tamen confidentiam in illo positam commonstrare actor potuit. quod vero actor omnem hanc rem, quae morum cum adversarii tum actoris malum offert exemplum in defensione profert, id satis explicatur cum periculo, in quo actor, ut in causa capitali, versatur, tum argumentorum inopia, quam ipse §o 18 deplorat.

Habemus igitur, nisi fallor, hoc in loco et transpositionis exemplum et interpolationis, cuiusmodi in oratione XX varia vestigia animadvertimus.

Ut ad orationem VIII nos convertamus, Scheibius, ut ex argumento latine scripto quod praeposuit editioni suae, apparet, eam ita mutilam et lacunosam esse iudicat, ut ne periculum quidem correctionis faciendum sit. sed videtur ille eo errasse, quod summam causae constare vel certe repetendam esse putat ex equo pignori dato, e qua opinione ad maximam orationis partem intellegendam eum pervenire non potuisse non miror. non enim videt, qui fructus e fine §i 9 colligi possint, qui est: *νῦν δὲ ξυμβαίνει γὰρ καὶ ταῦτα τοῖς πρὸ τοῦ, καὶ ἐμοὶ σημεῖα ταῦτα μὲν ἐκείνων ἐστίν, ἐκεῖνα δε τούτων ἱκανά. πρῶτον μὲν — περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἵππου κ. τ. λ.* apparet, ea quae sequuntur, continere *τὰ πρὸ τοῦ*, causam vero ipsam iam antea, maxime in §o 5 expositam esse. quare etiamsi lacunosa et mutila est haec oratio, tamen non cum viro docto tam parvam spem habeo de bono criticorum interpretumque successu.

Nunc vero unum locum tetigisse sufficiat, qui transpositionis exemplum praebet. legitur §o 3 extr. et §o 4:

τί δῆτά με κακῶς τὰ μὲν λέγειν, τὰ δὲ ποιεῖν ἐπιχειρεῖτε, καὶ ταῦτα πρὸς τούτοις ἡμᾶς διαβάλλειν, οὓς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς διεβάλλετε; — καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν. — ἃ δ' ἔλεγε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι· καὶ γὰρ ἀκούων ἠχθόμην κ. τ. λ.

ubi ea, quae in medio leguntur, inde a voce *καίτοι* usque ad v. *κατειπεῖν* cum vicinis nullum connexum habent. sed in §o 6 optime intellegerentur, ut haec haberemus:

χρῆν γὰρ ὑμᾶς ἢ μὴ κακῶς λέγειν ἢ μὴ ξυνεῖναι, καὶ ταῦτα φανερῶς ἀπειπόντας ὁμιλίαν. καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ (scil. *τὸ ἀπειπεῖν*) *ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσασθε* (pro *ἐποιήσατο*) *δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν. εἰ δὲ αἰσχρὸν ἡγείσθε τοῦτο, πῶς αἰσχρὸν ἦν ὑμῖν ξυνεῖναι, πρὸς ὃν οὐδὲ ἀπειπεῖν καλὸν ἡγεῖσθε;*

in hac sententia illud enuntiatum non solum toleratur, sed desideratur, quoniam pergit actor: *εἰ δὲ αἰσχρὸν ἡγεῖσθε τοῦτο.* quare etiam hic librarius occurrit a transpositionibus se non abstinens.

II. Fragmentorum temere collectorum exemplum praebet oratio VI. nulla enim in illa conspicitur dispositio, nullus sententiarum connexus. partes vero quae distingui possunt, hae videntur esse:

1) §§i 2, 3, quarum sensus vix enucleari possit. videtur actor exemplo uti vindicta aliqua a diis imposita, ut severitatem iudicibus commendet.

2) § 4—7. si Andocides absolutus ex hoc certamine prodierit, sacris fungens omnes qui huc ad sollemnia venerint offendet; nam multis ille propter itinera notus est, ita ut haec vestra culpa non posset latere. (sed § 7 etiam huius partis videtur digressio esse postea addita.)

3) § 9—10. non solum scriptis legibus, sed praeeunte Pericle naturalibus quoque in impios est utendum, quare lege de eo sublata niti ille non debet.

4) §§i 11, 12, ille eo impudentiae procedit, ut ipse alios impietatis postulet.

5) §§i 13, 14. dicet iniustum esse, delatorem poenas luere, delatis absolutis. sed hoc dicens non se defendet, sed

alios accusabit, quos profecto poenas dare oportet. discrimen tamen hoc extat, quod illi negarunt, hic confessus est.

6) § 15. gravius crimen est deorum statuas quam homines mutilare.

7) § 16. ceteri Graeci eos qui in nos peccarunt, a suis templis excluserunt, quid nobis ipsis faciendum?

8) Diagoras aliena, hic, quod gravius est, domestica sacra violavit. (cf. §um 15.)

9) § 18. cum de fugitivis pecuniam delatori promittatis, quid de eo, quem tenetis, statuendum?

10) § 19—32. fragmentum maximi ambitus. deus sero poenas sumit, sed antea sceleratum calamitatibus vexat. hoc in Andocidis vita cernitur.

11) §§i 33, 34 eo procedit insolentiae, ut rem publicam adire non vereatur. (cf. §§os 11, 12.)

12) §§i 35, 36. mullis meritis iste niti potest.

13) § 37—41. immerito pacta quae cum Lacedaemoniis et cum Piraeensibus extant, in suum commodum vertere studet. (cf. § 9—10.)

14) § 42. quod Cephisium accusabit, nihil faciet ad ipsius causam.

15) § 43—45. dicet, nullum extiturum esse delatorem, si illum puniveritis. sed ne fallamini. ille enim post delationem denuo peccavit, aliis delatoribus silentium tenentibus post veniam impetratam. (cf. §§os 13, 14.)

16) § 46—49. nullum eius est in patriam meritum. (cf. §§os 35, 36,)

17) § 50—53. mysteria profanavit, Hermas laesit, aedem nefarius intravit. quis talem hominem absolvet?

18) 54, 55 ne vos misereat istius, sed sententiam domi cum diis constitutam proferte in publicum.

Quis in tam diversis partibus sanum processum animadvertat? sunt profecto nihil nisi fragmenta temere conserta, quae tamen ab orationis XX statu eo discrepant, quod ad eandem causam spectant.

III. Neque fragmentorum e diversis fontibus petitorum exemplum praeter orationem XX deest. de oratione XXVII controversia est inter Scheibium et Hamakerum,*) illo continuam esse orationem statuente, hoc initium usque ad vocem *συμπρεσβευτῶν* et omnia quae post §i 9 vocem *καταψηφίσαισθε* sequuntur a reliqua parte separanda censente. rationibus vero Hamakerus utitur his:

1) initio dicit actor, satis esse accusatum, tamen pergit accusare.

2) initio agitur de legatione; in sequentibus de hominibus qui debent esse malorum civium vindices et investigatores.

3) verba §i 9: *πῶς γάρ, ὦ. ἄ. Ἄ. οἷς ὀυδὲ ταὐτὰ καὶ ὑμῖν συμφέρει;* cum antecedentibus non cohaerent.

Contra haec Scheibius respondet:

1) sensus §i 1 est: „iam satis est quidem accusatum (sc. ad crimen reorum explicandum utque poena digni habeantur efficiendum) sed hoc etiam considerandum, eos vobis minatos esse, at nolite perterrefieri istis eorum minis."

2) verba §i 1: *καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*, removenda sunt, originem inde invenerunt, quod cum in oratione non solus Epicrates, sed plures accusarentur, Epicrates autem legatione potissimum ad Persarum regem suscepta insignis esset, rhetores opinati sunt actionem etiam ad Epicratis in legatione collegas spectare. in reliqua vero oratione nihil usquam dicitur, quod ad legationem referri necessario debet.

3) cum Reiskio ad: *πῶς γάρ;* supplendum est: *δοῖεν ἂν δίκην ἀξίαν*, ut sensus efficiatur: „qui igitur hi poenam meritam

*) cf. Scheibe, vindiciae Lysiacae. Lipsiae 1845.

solverent, si simpliciter condemnati essent, qui tantum abfuit ut populi calamitatem una cum ceteris ferrent , . . ., ut eum in suum commodum debilitarent.“

4) insunt similitudinis inter utramque, siquidem duae sunt, partem vestigia. crimen utrobique vocatur *ἀδίκημα* §§ 6; 7 *ἀδικεῖν* §§is 5, 13, 16; utrobique pecunias publicas furati esse dicuntur adversarii §§is 6, 10, 11; utrobique mors poena constituitur §§is 7, 8, 16.

Ad quam controversiam haec mihi dicenda videntur:

ad 1) errat Scheibius minas adversariorum ad hanc ipsam causam pertinere putans, cum legatur: *πολλάκις ἠκούσατε τούτων, ὁπότε βούλοιντό τινα ἀδίκως ἀπολέσαι κ. τ. λ.* immo non in hac actione ad minas refugere adversarios discimus e §o 12: *καὶ νῦν ἴσως ποιήσουσι ἅπερ καὶ πρότερον ἦσαν εἰθισμένοι καὶ δημόται καὶ φίλοι, κλαίοντες ἐξαιτεῖσθαι κ. τ. λ.* apparet igitur, ipsum illud illorum crimen esse, quod saepe minis usi sint ad commoda sua obtinenda.

ad 2) etiamsi in reliqua parte nihil dicitur, quod necessario ad legationem referri debeat, (quippe quia status causae in his fragmentis nusquam clare indicatur) tamen insunt, quae male referuntur ad homines in iudiciis munus aliquod administrantes. nam e. g. *δημαγωγοί* in § 10 sunt plebis duces, non ii, qui in iudiciis praesidium habent, sed qui sententias ferunt in rei publicae deliberationibus atque etiam prae aliis ad legationes suscipiendas appellantur. ceterum nulla causa fuisset rhetoribus adiciendi illius: *καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*, nam etsi de pluribus ageretur, id ubique monendum erat? immo vero actorem dixisse: *κατηγόρηται μὲν, ὦ. ἄ. Ἀ. Ἐπικράτους ἱκανά· ἐνθυμεῖσθαι* etc., quasi nunc ad alium adversarium transiturum (nam cur alioquin nomine usus esset?), vix credibile est.

ad 3) quae a Reiskio et Scheibio supplentur, ad sensum intellegendum sufficiunt, (quamquam fieri potest ut ante *πῶς γὰρ;* sententia sit omissa.)

ad 4) recte quidem monuit Scheibius, mortis poenam atque pecuniae publicae clam aversae crimen iam ante §um 9 saepius citari; sed illud non vidit, omnes illos locos intra §um 5 et §um 9 contineri, in quatuor primis §§is vero, nihil eiusmodi inveniri, sed actionem videri *δωροδοκίας* esse, mortem vero imminere ne verisimile quidem esse propter illud: *καὶ οἱ νῦν πρῶτον ὤφθησαν ἀδικοῦντες, ἀλλὰ καὶ πρότερον ἤδη δώρων ἐκρίθησαν.*

Quibus de causis cum Hamakero statuo varias orationes in hac quam vocant oratione XXVII confusas esse, sed non ut ille, alterius orationis fines §um 1 et §um 9 esse puto, sed censeo quatuor primas §§os, excepto §i 1 initio, a reliquis esse separandas. quare etiam eiusmodi corruptionis oratio XX non unicum exemplum est.

His igitur exemplis satis probatum esse puto, textus condicionem, quam in oratione XX cognovimus, etiam in reliqua parte codicis palatini animadverti, ita ut critici non errent, si ex hoc statu codicis leges sibi et rationes emendationis comparant.

THESES.

1. In Plauti fabula quae Aulularia inscribitur versus 298—319 interpolati sunt.

2. Probuli quos anno 413 ab Atheniensibus electos esse Thucydides narrat, non tanta potestate instructi [illegible] recentioribus rerum scriptoribus iis attribui solet.

3. Deum esse a philosophia neque demonstrari neque refelli potest, sed est veritas quae omnes veritates praecedit quaeque unicuique demonstrationi fundamento est.

4. Tragici Francogallorum poetae verum quod dicitur *πάθος* numquam fere attigerunt.

5. Libertas in rebus publicis non ut multi volunt, subito dari vel extorqueri potest, sed progrediente morum institutionumque perfectione magis magisque comparatur.

CURRICULUM VITAE.

Ego Hippolytus Carolus Hermannus Walter Parow, anno 1846 die XIII mensis maii Berolini natus sum, patre Carolo Andrea Guilelmo Parow, Gryphiswaldensi medico, matre Luisa e gente Friedlaender. fidem profiteor evangelicam. septem fere annos natus Bonnam cum parentibus migravi, ubi gymnasii rectore Schopenio proxi[illegible] abrepto tum florentis discipulus eram usq[illegible], quo maturitatis testimonio instructus B[illegible] studia philologica et philosophica amplexus sum, ordini philosophico universitatis Friderico-Guilelmae adscriptus. Scholas vero imprimis Mauritii Hauptii, Augusti Boeckhii, Aug. Kirchhoffii, Adolphi Trendelenburgii secutus sum, neque tamen historicas Droysenii, archaeologicas Friederichsii praelectiones neglexi. Quibus viris quodcunque in me est scientiae deberi pio gratoque animo profiteor semperque profitebor atque gratias iis ago quam maximas. Anno 1868 exmatriculatus ad examen pro facultate docendi subeundum me praeparare coepi idque mense Junio proximi anni absolvi. Tum vero ad summos in philosophia gradus ca[illegible] Halas me contuli.